



**L**Vdouicus ille filius fuit Heinrici ducis Boiorum qui Landshutæ præfuit, atq; sororis Alberti Cæfaris. Is Burckufij sub illiberali patre ad annum tricesimum usq; educatus fuit. Ibi cum multa penuria uestium, pecuniæ, & equorum perpeffus effet, obfequentiffimus tamen femper patri extitit. Itaq; fuadētibus amicis ut clam in Auftriam ad Albertum Cæfarem auunculū difcederet, respondiffe fertur: Absit ut authorem uitæ unquam deferam, aut quoad compos mentis fuero, ullo uerbo aut facto offendam. Interim tamen sese hasta eminus, & cominus gladio, præterea saltando, equitando, disco proijciendo indies clam exercuit, atque etiam libris infedit. Pater enim adeo ceruos amabat, ut eum indefinenter uenationi incumbere defideraret. Itaq; cum pater anno 1450 ex hac uita migrasset, à proceribus Boiorum princeps declaratur, ac magna letitia ubique fufcipitur. Is statim comitijs habitis, res omnes optimè difponit, atque in primis, rogationes patris de ceruis perlatas, ut nimirum liberè per agros incederent, fuftulit, atque feptibus arua munire præcepit. præterea agricolis iterum canes uillaticos permittit, quibus ferè abigantur. Poftea Ameliam Friderici Saxonis filiam uxorem duxit, & ex ea Margaretham matrem Palatinorum Rhæni & Philippi electoris coniugem procreauit, præterea Georgium diuitem principem, in quo poftea progenies Landshutenfium principum defecit. eius enim unica filia Ruperto Palatino nupta, eidem partem paternæ dititionis attulit, reliqua autem ducibus Monachij poft bellum Bavaricum iure celfit.